IN PULMONUM PHTHISEOS TUBERCULARIS CONDITIONE PATHOLOGICAM...

Giuseppe Faccini



IN

PULMONUM

PHTHISEOS TUBERCULARIS

CONDITIONEM PATHOLOGICAM

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

SOLEMNITER ASSEQUENDAM

PROPONIT

JOSEPH FACCINI

VERONENSIS



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1838





Hac in loci amplitudine, in hac tanta vestra humanitate, de iis artibus ac disciplinis disceptaturus, quarum mihi aditum perhumaniter sagacissimeque reclusistis; idque ut planum omnibus sit, quantum in iisdem, sin minus ingenio, saltem diligentia profecerim; fateor, et ipsa rei gravitate, et virium defectu, animum mentemque meam vehementissime commoveri. Neque haec mihi nunc primum aboritur trepidatio, sed me diu multumque exagitavit; quum in traditarum rerum copia vastissimo quasi quodam oceano reputarem, quid potissimum eligendum esset, quod tantam hanc lucem vestrumque conspectum deceret. Quum tamen animadvertissem iis observationibus multo majorem utilitatem inesse quae intimam morborum indolem ac naturam expendunt, quam iis quae theorica principia statuunt novasque hypotheses comminiscuntur; mihi tandem ea tantummodo inquirenda, et diligentius examinanda proposui, quarum praesidio affilicta hominum salus convalescat, viresque diuturna aegritudine collabefactae erigantur.

Quare inter primos teterrimus et fere herculeus ille morbus mihi obviam venit, qui sub phthiseos nomine millenis in modis homines aggreditur, et necat, media in juventute grassatur, et praecipuum societatis fundamentum ac florem depascitur.

Nimium patientia vestra abuterer si cuncta, quae de hoc morbo dicenda sunt, non jam in medium proferre, sed attingere tantummodo vellem. Quamobrem voti compos ero si ea clare evidenterque proposuero, quae minus *haereticas* et incertas curationis indicationes demonstrare quandoque posse mihi videntur.

Quum in eorum scriptis qui de phthisi egerunt operam contulissem, terruit me judicium sane infaustum ab iis pronunciatum meque horror hujusmodi ad illas aggrediendas indagines impulit, quarum studio saltem mali tanti pervicaciam dignoscere possem. Et revera aliquantisper sese animus meus erexit tum, cum in Portalii opere ab illustrissimo Federigo traslato haec inveni: *Apparate, diceva Capivaccio ai Medici de' suoi tempi, degli altri metodi di trattare la tisi, e non direte che ella è incurabile.* Hujs sententiae vim optime quidem multis ab annis noverat sagacissimus, et praeclarissimus Prof. Brera, uti luculenter in suis adnotationibus medico-praticis hisce verbis patefecit: « Soleva ricordare l'esimio mio Precettore sig. Frank a' suoi scolari, di

non aver mai potuto guarire un vero tisico. Questa confessione di un gran pratico ci suggerisce quanto sia essenziale di determinare la diagnosi positiva dei tisici, e di elevarsi alla perfetta cognizione della sua natura onde seguire una indicazione illuminata. »

Ex hoc sapientissimorum hominum judicio spe mihi suborta, alacrius animum transtuli ad causas inquirendas, e quibus deducere valerem cur aliqui prognosim definite adversam, alii vero ambiguam exposuerint; et, ni fallor, theorematum eorum fundamenta quamvis contraria morbi naturae non obstant. Etenim si phthiseos pulmonaris nomine, uti Burserio multisque aliis placet, indicatur *ea totius corporis lenta consumptio, quae pulmonum ulcus, assiduamque inde ortam febbriculam consequitur,* raro ac perdifficile ars medica ei limites imponere poterit; ast vero si hoc nomine cunctos illos morbos comprehendere velimus, in quibus pulmones variis affectionibus obnoxii sunt phthisim *notham* Burserii constituentibus, sive ab illis conditionibus, quae temporis progressu in exulcerationem et tabem, sive veram phthisim transeunt, tunc mihi videtur aliquoties posse sanari. Sed ut optatus iste scopus obtineatur magnopere interest perfectam morbi conditionem perpendere, quod duobus in principiis fundamentum suum habet, scilicet in disquisitione causarun et in

examine effectuum inde manantium sive intimae morbi conditionis vel causae proximae.

Isti duo fontes maximam postulant medici attentionem; quibus neglectis referenda est imperfecta medela per tot annos usitata, quemadmodum certiores nos facit Baglivius in praxeos medicae capite IX. paragrapho I. Alii enim examen converterunt ad causas tantummodo ex quibus phthisis originem habuit, negligentes, aliam curationem causas exposcere aliam esse methodum, quam saepe saepius requirunt alterationes in contextus inductae a causis ipsis; nonnulli contra diversos contemplati sunt phthiseos status atque gradus, fomitem nihili facientes, qui eam genuit, ac sustinet, obliti illius principii: *ablata tantum causa tollitur etiam et effectus*, et minime memores effectuum a diversis causis peractorum aliquoties inter se paucis lineis discrepare, et frequenter talem ac tantam analogiam inter se acquirere, ut distingui nequeant, et prope unum eundemque morbum singulis in casibus efficiant.

Causae remotae sunt innumerae, et dividuntur sicuti in aliis morbis in praedisponentes et occasionales. Inter primas recensendae sunt: constitutio haereditaria, aetas juvenilis, vitia cordis, et viscerum abdominalium, asthma, animi pathemata, studia nimis intensa, perversus thoracis comprimendi mos, pectoris mala conformatio vel debilitas, et sic dictus

habitus phthisicus, phlogistici processus in substantia aut in involucris pulmonum sedem habentes, affectio catarrhalis, arthritis, rheumatismus, scrophula, syphilis, scorbutus et similes. Inter occasionales potentiae traumaticae in pectus agentes, impetigines sic dictae retropulsae, abusus arsenici, et deutochlorureti hydrargyri, exhalationes pulvereae aut myasmaticae, errores diaetetici, scirrhositates, vel cancri glandularum subaxillarium, et multae aliae quarum omnium examen maximi momenti est, et quo praetermisso, cura frequenter magis auget, quam mitiget eorum effectus.

Quamvis non raro causarum diagnosis imperfecta evadat, et aliquando earum distincta cognitio haberi nequeat, accidit tamen ut difficilius sit perfectum cognoscere statum a quo pulmones afficiuntur; nam symptomata quae ab una vel altera perturbatione expromuntur, identica saepenumero sunt, et nullam interdum, ut jam adnotavimus, eis lucem affert causarum cognitio. Necessarium nihilosecius est diversas enumerare conditiones pulmones ostendentes illasque, quantum possibile erit, secernere ut facilior scateat diagnosis, atque aptis remediis sive dynamice, sive chemice aut mechanice agentibus aeger sublevetur.

Multiplices sunt conditiones patologicae a quibus in phthisi vexari possunt pulmones; atque hinc phthi-

sim habemus ulcerosam, pituitosam, vomicosam, tuberculosam, calculosam, et similes, quae species omnes necessario distinguendae sunt; ut rationalis exsurgat therapeutica methodus.

In animo mihi non est de singulis istis disserere, sed de illa tantummodo, quae sub nomine tubercularis indicatur. Varie opinantur scriptores circa tuberculorúm naturam et nonnullis inter haec calculos quoque adnumerare placet, quos eosdem nonnulli censent prorsus segregandos. Sed quum mihi videatur vagum admodum ac incertum esse tuberculi nomen et aliquoties nihil aliud esse calculum nisi quod antea tuberculum vocabatur, calculos inter tubercula adnumerari debere non dissentio, atque imo unam ex his varietatibus constituere in quibus tubercularis phthisis distincta esse debet.

Quod autem attinet ad tubercula magni interest eorum sedem ac naturam perpendere nam diversae plane exsurgunt phthiseos species propriis indiciis ac characteribus notatae juxta harum circumstantiarum diversitatem.

Sedem habere possunt tubercula vel in glandulis circa bronchia eorumqne diramationes positis, aut per universum pulmonum parenchyma sparsis, vel in vesiculis ex quibus pulmo componitur, vel in contextu celluloso inter vesiculas locato, aut vasa vestiente.

Innumerae sunt tuberculorum varietates quae in

phthisicorum cadaverum sectionibus inveniuntur; nam a substantia gelatinosa et fibrinosa, ab adiposa, a steatomatosa, a scyrrhosa, a strumosa, a caseosa, a cartilaginea, ab ossea, a calcaria atque a similibus efformari possunt tubercula. Sed discrimen non solum in diversa tuberculorum natura exstat, verum etiam a tempore pendet, a quo vigent tubercula, et a vario processu in iis ipsis ingenito, nec non in textubus tubercula circumambientibus.

Si humor aliquis cujuscumque naturae in glandularum contextu aliquam ob causam deponatur, illico eorumdem glandularum functio vel imminuta ver turbata remanet, et humores qui per glandulas ipsas transire et se se elaborare debent, juxta naturae leges non amplius percurrunt, quin immo stagnantes novae lymphae coagulationi favent et hinc ampliora facta tubercula vesicularum respirationi inservientium capacitatem coarctant, ut hinc respirationis munera a consueta ratione magis magisque desciscunt, idque eo vehementius increscit quo facilius sanguis per pulmonare systema imperfecte elaboratus malam suscipit conditionem, atque irritans redditus ad viscera perturbanda potius quam nutrienda confert; inde novae stases, quae pulmonum omnino functionem delebunt, praeter symptomatum illorum catervam, quae profluet a natura ac duritie tuberculorum, quaeque debito loco ad examen revocabitur.

Tubercula in pulmonum vesiculis efformata aëris ingressum in earum cavitates impediunt atque ita superficiei illius extensio imminuitur a qua sanguinis mutatio pendet; quamobrem respiratio difficilior eveniet eadem ratione qua vesicularun a concretionibus distentarum numerus augebitur. Concretiones in interna vesicularum superficie coagmentatae sese extendunt aliquoties extra vesiculas juxta bronchiorum diramationes, et tali pacto effectus illos accelerant qui a prava sanguinis elaboratione evenire solent. Sed in hac tuberculorum specie notandum est arduam magis esse curam. Nam tubercula non immediate sicut in aliis textubus immiscentur, et connectuntur; sed peculiaria et quasi disjuncta corpora constituunt, quae non absolute lymphaticorum actioni subijciuntur et hinc aegre solutio perfici potest.

Si inflammationis gratia vel qualibet alia de causa deponatur lympha in tela cellulari inter vesiculas, aut circa vasa, aut in pulmonum superficie posita illic tuberculum surgit, quod primo intuitu atque in ejus initio directe pulmonis functionem non laedit, sed temporis progressu et tuberculi incremento vesiculae, vasa sanguinea, lymphatica, ac nervi ab extraneorum corporum actione comprimuntur, et ita irregulari modo sanguinis circulatio atque oxygenatio consequitur, iidemque promanant effectus quos a tuberculis in vesiculis positis gigni adnotavimus. At

non semper substantia abnormis in cellularen contextum dispersa tuberculorum dispositionem acquirit, sed per universum pulmonum parenchyma se se diffundit, utpote in phthisi rheumatica et arthritica accidere solet.

Quoad processus quibus pulmonum substantia obnoxia est pro varia tuberculorum natura, notandum est, effectus non tantum ab indole pendere materierum diversarum, quae tuberculis originem dedere, verum etiam a duritie, et crassitie varia quas praeseferunt. Quae circustantiae tot elementa praebent, e quibus minus imperfecta morbis diagnosis scaturire debet.

Ea tubercula itaque, quae a colluvie materiei gelatinosae vel cujuscumque alius consistentiae minoris constructa sunt, fluidorum circulationem impediunt et pro naturae lege cystim sibi circumfundunt, quae cystis tubercula a caeteris pulmonum partibus sejungit, et peculiarem quasi existentiae modum corpora illa extranea assumunt; quamobrem tuberculi nucleus, qui primus evolutus est, primus indolem mutat, et hinc sensim sensimque eadem contitio pathologica in cunctam tuberculi extensionem se se profert, sicque tumor vere cysticus sive vomica babetur, ex qua descissa cysti, pus aut puriformis materies erumpit, et in excreata apparet; quod si materia haec nimium infesta vel ob qualitatem, vel ob quantitatem sit, serius vel ocyus praesentiae suae effectus pulmonibus et organismo universali dignoscere facit.

Tum cum tuberculum a materie scirrhosa in glandularem substantiam translata pendet; lente ad cancerosam conditionem procedit usquedum exulceratio subsequens ichoris effusionem promoveat, indeque lethales ejus exoriantur sequelae, quarum actione pulmonum parenchyma destruitur atque dissolvitur, uti patet a subsequenti excreatu sanguineo purulento, atque ichoroso.

Tubercula a cartilaginea substantia constituta aliquoties sensim sensimque calcariam materiem admittunt, et sic ipsis induratis eae sequuntur phases, quae tuberculorum calcariorum propriae sunt quandoque vero quasi stationaria longum tempus persistunt, nullamque sustinet in hoc phthiseos genere egrotus molestiam, apta vivendi methodo funestos arcere potest exitus, et ni coacervata nimis sint tubercula longaevam saepe saepius aetatem attingere potest.

Si vero ossea, calcaria, sive quaecumque alia dura substantia tuberculorum compagem construit; tunc fere semper impossibilis ejus resolutio aut intima mutatio videtur, qua de causa processus consequentes non in tuberculi ipsius substantia primitus locum habent, verum in textubns propinquis; nam insueta actio illorum super pulmones allata, continuoque horum viscerum motu aucta, gravem irritationem ducit, a qua revocatur sanguinis affluxus, phlogosis partialis determinatur, quae varios diversosque inducere potest

effectus juxta diversorum textuum ab inflammatione detentorum conditionem et juxta gradus inflammationis ejusdem. Si vero tubercula dura, sicuti in iis accidit, quae in vesicularum capacitate exoriri solent, angulos praeseferant, lacerationes tunc earumque pedissequa symptomata, sequuntur: uti Mortonus et Duprè adnotarunt. Sed si causae incitantes et immoderatum vivendi regimen phlogoseos illius evolutioni faveant, cui jam praecitati contextus proni sunt, tunc cuncta exeunt symptomata inflammatoria graviora, quae veram febrim peumonicam interdum laetalem, a Mortono notatam, excitant, et minori vel majori celeritate, juxta febris intensitatem, suppuratio evenit quae vomicae adapertae ad instar brevi temporis spatio in cunctam pulmonarem substantiam pus diffundit, et hinc aegrotantis vires solvuntur, et paulo post et cito vita periclitatur. Sed quando processus phlogisticus lente progressus suos fecit, pars a suppuratione occupata ab orbe cystico limitatur, et sic vomica clausa habetur, cujus non adeo laetales sunt effectus et nucleus a parva suppuratione non offensus liber et natans in cavitate remanet. Aliquando etiam tubercula quamvis calcaria puris causa propriam mutent conditionem, et quasi incisa vel corrosa comminuantur et in purulentam massam, aut suspensa remanent aut solvuntur; quod si rariora vel unica sint haec tubercula lymphaticorum actione collectus fluidus de-

ferri potest, et aliquando omnino et perfecte evanescunt tubercula eadem juxta Morgagni et Mortoni observationes. Quando tempore opportuno convenientia adhibita sunt praesidia medica phlogoseos vehementia discutitur, et ea vi ablata, quae suppurationis ingruentiae favere debuerat exsudationis lymphae coagulabilis exitus potius accidit, cujus ope cystis construitur, quae tuberculum circumdans actionem ejus irritativam in pulmonum substantiam impedit. Istius processus causa tuberculum quasi iners in pulmone sedet; et ni causae efficaciores novam excitent inflammationem diutius et sine gravi detrimento immorari potest, et ad summum symptomata praefert, que asthmatis propria sunt. Si suppuratio latius extendatur in circumpositis tuberculo partibus vastam destructionem infert, quia neque vasis, atque nervis minime parcit, indeque haemorrhagiae lethales sequuntur et pulmonum paralyses, quae eorum functionen delent etiamsi integri aliunde sint, et vasorum parietes puris actionem spernant et superent, non raro in coarctationem incidunt, vasaque obliterantur secundum Laennec observationes. Tubercula dura superficiem inaequalem, et scabrosam offerentia non solum irritando agunt, verum etiam diffindendo, et corrodendo, sive per rexim, et diabrosim agendo, qui novus quidem haemorrhagiarum est fons et vastissimis mortiferisque sanguinis transfusionibus locum dat.

Sed non semper eventu tam infausto tubercula dura in pulmones vim exercent suam; nam aliquoties a propria sede decussa sive par abrasionem in textus illatam, sive per cavitatem a suppuratione paratam, viam sibi per bronchiorum cavum strernunt, atque ex his sub excreatus forma ab organismo depelluntur. Tandem tuberculorum confluentia talis ac tanta esse potest, ut cuncta quasi pulmonum massa, uti videre accidit Morgagnio, Malpighio atque Portalio, a tuberculis aspersa remaneat, et culter anatomicus per illam progredi nequeat quibus in circumstantiis qualis sit respirationis functio unusquisque intelligere facile potest.

Ab hac conditionum phatologicarum serie clare elucet, quanta sit morborum caterva, quae pulmonarem pthtisim sic dictam tubercularem constituere potest, quot diversi sint effectus ab ea producti et hinc quantum variae curationis metodi esse debeant; nam modo ad tubercula solvenda, modo ad eorum actionem obtundendam, modo denique ad effectus praecavendos medendosque directa esse debet cura.

Hisce positis principiis, mihi videtur facili negotio intelligi posse quare tam difficiliter phthisis curetur; summopere enim arduum est legitimum pulmonum statum dignoscere quum parum ad id opituletur symptomatum studium. Meditata vero sedulo causarum serie, perbene investigato morbi tempore, longinquitate, aliisque circumstantiis, determinatis sagaciter

symptomatibus praesentibus ac praeteritis, forsan serius ocyus practici diversas pulmonum conditiones interpretare poterunt. Ab eodem fonte quidem nobis repetere licet interminabilem methodorum seriem, quae a multis aeque clarissimis viris nobis proponuntur, quaeque inter se licet contrariae optimos tamen peperisse effectus multorum testimonia confirmant. Forsan ab hac phthiseos distinctione nobis noscere datum erit, quamobrem in morbo ejusdem semper indolis reputato, nunc mirabilia et nunc lethalia produxere et motus et emetica, et lac et emulgentia et resolventia, et corroborantia, et cauteria, et sexcenta alia remedia nota atque arcana, quae indiscriminatim examinata artis dedecori et aegrotantium damno inventa esse videntur. Ab hac causa diversi originem habent effectus, qui in morbis apparenter similibus obtinentur; ab hac tantae medicorum controversiae; ab hac hypotheses medicam praxim implicantes.

Sed non iste tantum scopulorum limes est qui medendi artem in discrimen adducat ac praesertim morbi nostri curationem impediat. Non solum saepe saepius diversos debellare opportet processus eandem formam mentientes, sed uno eodemque temporis articulo saepenumero variae indolis processus, variique processus ejusdem gradus aegrotantis vitam minitantur, et medicus anceps, quo se vertere nescit et cui prius succurrat ambigit.

Quae quum ita sint, veniam, exoro, date mihi, Professores amplissimi, si de iis tantummodo locutus sum, quae ad tubercularem distinctionem statuendam tendunt, nullaque verba de signis ac symptomatibus feci. Ætas enim nondum matura, nondum experientiae subsidiis edocta, et argumenti difficultas ac implicatio id vetuerunt. Si fors mihi erit praxi dicta explanare et confirmare, et ad praestitutam perveni re metam, parvulum hoc opus, quod vobis debeo, minus ambigua phthiseos curationis principia aliquando traditurum fore, spero.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Pulmonum morbi saepe occulti serpunt, saepe cum aliis aegritudinibus confunduntur, et non nisi post cadaverum autopsiam vera eorum diagnosis clare patet.

II.

Vigent non raro symptomata pulmonalia, quin haec viscera ab affectionibus morbosis correpta sint.

III.

Chemiae progressus Pharmacologiae et Clinices studio maximam attulerunt utilitatem.

IV.

Veram diaphragmitidem rarissime dari.

V.

Caloris animalis causam haud unicam.

VI.

Incitationem vitalem una quantitate mutari.

VII.

Naturae vires pertinacissimas quandoque sanant affectiones.

VIII.

Anatome in practico medicinae aeque ac chirurgiae exercitio summopere necessaria.

IX.

Hepatitis curatio venae sectione, emollientibus ac aperitivis, nec non blanda alvi ductione peragitur.

X.

Vix ulla humani corporis est pars, in qua vermes interdum quispiam non reperisset, aut reperire sibi visus sit.

XI.

Haemorrhoides pallidos, melancholicos, hypochondriacos plerumque homines vexant.

XII.

Icterus flavus minus nigro periculosus.

